

De peccati consuetudine;

Peccator cum iam de iniquitate sua non confunditur, iam iniquitate eadem et iam amminiculis pessime consuetudinis roboratur, quasi quibusdam oblectationibus peccator fouetur ut crescat dum culpa consuetudinibus firmatur ut uigeat, Cum prodire culpa in usu coeperit, nimirum se uel falsa spe diuinae misericordiae, uel aperta miseria disperationis pascit, ut eo nequaquam ad correptionem quisque redeat quo uel factorem suum pium sibi inordinate simulat uel hoc quod fecit inordinate formidat, beatus ipse humani generis lapsus aspiciens et quibus precipitiis mersus sit in foueam iniquitatis intendit dicens, quare non in uulua mortuus sum. idest in ipsa occulta perpetratione peccati, quur a carnis uita mortificare me nolui quare inquid exceptus genitus idem post apertam culpam cur me adhuc in illa et iam consuetudo suscepit, ut ualentiorem ad nequitias redderet et prauis me usibus sustinens foueret, plerumque cum culpa in usum uenerit, et iam animus et iam si appetat debilius resistit, quia quod uicibus praue frequentationis adstringitur quasi tot uinculis ad mentem ligatur; Nonnumquam fit ut neruis animus cum solui peccati consuetudine non ualet, et quidem se solacia falsae consolationis inclinet, quatenus uenturum iudicem tantae misericordiae spondeat, ut eos et iam quos arguendo inuenerit penitus non occidat, Cui rei hoc deterius accidit quod ei multorum similium lingua consentit; Cum multi mala gesta hominum laudibus exaggerant, fit plerumque ut incessanter crescat culpa fauoribus enutrit, Cum re aut uulnus neglegitur, quod dignum premio laudis uidetur, per salamonem in prouerbiis dicitur;

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc433/0318